

successu pacationis animarum.⁹⁰ Nunc post factam investigationem in contrarium concludere constringimur, hoc nempe decretum in provincia Bosnae Argentinae usque ad a. 1837 nec notum neque in usu fuisse; anno vero 1837 factum est conamen introducendi illud, sed absque successu.

Sequentes rationes pro hac nostra affirmatione adducere possumus. Nullibi in Registris S. C. de Propaganda fide mentio invenitur: neque an ibi hoc decretum promulgatum fuerit, neque alia quaelibet notitia de ejus in Bosna existentia; at registri ab a. 1660 usque hodie fere completi sunt (exceptis annis 1804—1814). Deinde, ratio, quare non fuerit illic mandatum, poterat esse et mors episcopi bosnensis Maravić, qui proprie hoc anno e vita decessit.⁹¹ Pro necessitatibus vero dioecesis veniebat episcopus Belgradensis Matthaeus Benlijić, quem Franciscani bosnenses quam maxime amabant et pro cathedra bosnensi petebant. Sed S. Congregatio non habebat fiduciam in eo, timebat enim quod jura episcopalia contra usurpationes regularium satis non custodiret.⁹² Propterea neque expediens duxit hoc decretum eidem mittere.

⁹⁰ »Interea S. Congregatio de Propaganda fide, ut in futurum non solum in dioecesi bosnensi sed etiam in archidioecesi sophiensi in Bulgaria inter Franciscanos et episcopum etiam ipsa conamina contentionum impediret, condidit die 23 Februarii 1660 juxta Conc. Tridentini decreta sequentes decisiones, quas die 3 Martii ejusdem anni ipsa S. Sedes confirmavit. Sed, proh dolor! neque hujusmodi decisiones duraturam pacem, tam necessariam pro munere pastoralis, instaurare poterant« (croatice). Jelenić, Kultura i bos. franjevc, I, 162—163. Idem tenet et P. Rupčić in o. c. 115.

⁹¹ Maravić ultimum diem clausit die 14 Septembris 1660. Fermentžin, Acta Bosnae, 498 sq. n. 1437.

⁹² Sic in congregatione generali diei 4 Februarii 1664 conqueritur contra fratres, quia, fecerunt sibi ab imperatore in episcopum nominari Benlijić, quem S. Congregatio non voluit, quia »persona del vescovo non era punto a proposito, perchè come quello, che camminava del tutto uniforme con i sentimenti de frati, havrebbe dato mano a tutti i pregiudizij, et usurpationi, che quei frati fanno in danno delle ragioni episcopali, per le quali la Sacra Congregazione era stata astretta di far molte dichiarazioni e Decreti per preserverle«. Archivum Prop., Acta, 1664, v. 33 f. 24v—25v.

⁹³ »Si da a V. S. colla presente una piena facoltà d'elegersi a proprio arbitrio fra cotesti religiosi uno d'essi, che ella stimerà più idoneo per esercitare la condotta di suo Vicario« Arch. Con. Šbenik, Liber Archivalis, f. XLVIII—XLIX.